Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1525
Quelle:
Copyright:

ad *Kunegundem* Viduam *Henrici* II. Imp. post Mariti mortem in Parthenone *Kaffungensi* seu *Confugiensi* a se condito degentem, cujus initium: *Dudum quidem Domna Imperatrix tibi petere placuit ut ex scripturis colligerem luculentos breuesque sermones* &c. et Subscriptio miniata: *Ego Johannes Vltimus Servorum Christi. et qui mecum sunt fratres Beatitudinem tuam salutamus in Christo Pia Mater pauperum et Nobile Decus Viduarum. Vale. Conseruet te semper in uoluntate sua omnipotens trinitas.* Ne actum agam, adeat Lector *Joh. Mabillonii Vet. Analecta* Edit. nov. *Paris.* 1723. T. I. p. 120. f. ubi et *Prologum* integrum, et summa totius Compilationis, quam Autor ipse in Prologo *Libellum de Contemplatione divina, Christique amore et de illa superna Hierusalem omnium Fidelium matre* vocat, Capita habet. At vero *fol.* 102. p. 2. post Rubricam: *Quid sit jubilum* Codex noster a *Mettensi*, quo usus est *Mabillonius*, abit et *Orationum*, quae huic numero VI. et VII. sunt, loco prolixam interserit Dissertationem mysticam inscriptam rubro: *De omnipotentia maiestatis*, quae incipit: *Omnipotens Deus in semetipso habet sine mutatione sui mutabilia disponere. sine diuersitate sui diuersa agere. sine cogitationum uicissitudine dissimilia formare* &c. finit: *impenetrabilia eius iudicia perpendentes submissis alis humiliter stamus;* et sequentia pertractat: *Quod perfectio contemplatiue uite in hac uita non datur. De uoce carnis. De uoce sub firmamento. De uoce de firmamento. De uoce super firmamentum. Quid sit quod sancta animalia alas submittunt.* Post hanc Dissertationem redit *Mabillonii* N. VIII. sive *Confessio humilis peccatoris in tempore angustie et infirmitatis. Miserere domine miserere pie* &c. Sed in verbis: *Scis omnia potes omnia*, terminatur *Codex*, nihilque agnoscit *Orationum*, in quas *Mettensis* procurrit. Autorem *Mabillonius* conjectat fuisse *Johannem* Abb. *Fiscamnensem* e rationibus, quas *l. cit.* p. 125. expendit.

DCLVI.

Codex membraneus lat. Sec. U.359
XII. Folior. 150. f. per duas columnas non una manu, eleganter tamen perscriptus, miniatus, et quondam, uti praecedens, *Johannis Fabri* Ep. *Vien.* continet: I. *Smaragdi Abb.* O. S. B. *Diadema Monachorum* prorsus, ut *Codice* praeced.

II. *fol.* 58. velut e calce praeoccupo, *Libellus iohannis de diuersis scripturis collectus.* Eadem videlicet mystica ad *Kunegundem* Aug. Compilatio, quam mox indicavi, quae cum se penitus habeat, ut in exemplo praecedente, et ultimis verbis: *Scis omnia potes omnia*, continuo subdatur: *Explicit libellus iohannis* &c. inclinor, ut credam, Mantissam illam *Orationum*, quam e *Mettensi* Codice excitavit *Mabillonius* ad *Johannem* nostrum haud pertinere, idque eo magis, quod, earum quae